



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Carminvm Iacobi Albani Ghibbesii, Poetae Lavreati Caesarei, Pars Lyrica**

**Gibbes, James Alban**

**Romae, 1668**

Hilarionis Rancati, Ord. Cisterciensis; Basilicæ S. Crucis in Hierusalem  
Abbatis, omni ex parte religiosa bonitas. Ode XII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13378**

Ponte feram tantos haud indignatus honores,  
 Mequè ipse calcandum nouo subijciam decori.  
 Latoi stirps magna Dei est, Epidaurius heros,  
 Paterna quem scientia clarat, & artis amor.  
 Ille Machaonios succos, herbasque potentes  
 Obiectat agris sedulò, ruraque membra facit.  
 O te felicem, ter te, GVLIELME, beatum!  
 Quem propter arctant cornua Tybris & Eridanus?  
 Testis sum pugnae, ripa dum fortè sedebam,  
 Quà Thuscus allambit latex nobile Martis opus.

HILARIONIS RANCATI,  
 ORD. CISTERCIENSIS;

*Basilicae S. Crucis in Hierusalem Abbatis,  
 omni ex parte religiosa bonitas.*

ODE XII.

Ille alter, habuit simile qui nomen tibi  
 RANCATE, primum (canere nec versu licet)  
 Vitæ quietem gestiens omni procùl  
 Strepitu parare, lucidæ tyro plagæ,  
 Populo relicto, & vrbe cum fumo & foro,  
 Syluæ beatus incola optatum tulit.  
 Tu pacis huius artifex mirus, locum  
 Haud quæris æquè. Straueras mentis fretum  
 Samius magister, sedis internæ memor.  
 Hinc semper albi fluxit auspiciū status.  
 Venale non stat otium: mango, iustitor,  
 Nec qui rubentis aduehit gazam maris,  
 Ostendit vnquam. Solus id animus facit.  
 Sibi quisque proprio gignit & claudit sinu?  
 Sed qualis iste est, ô Pater, nulli datus  
 Nisi destinato, corporis motor tui.  
 Hoc corde & ore, quantus attonitâ scholam  
 Post te trahebas Vrbe! tum linguâ impotens  
 Proferre verba, verba discebat Quiritis

Au

Auribus apertis. Roma (quis credat?) tacet.  
 Ille alter, exul horridos inter specus  
 Inuenit; ast tu ciuis ad Solem nitens  
 Stupore fecisti tui silentium.

AD FABRICIVM SABELLVM,  
 ROMANVM.

*Rogatus quamdiu Roma fuisset, respondet, non sine  
 commiseratione Britannia ciuili bello ar-  
 dentis, M. DC. XLV.*

ODE XIII:

**T**ertia iam teritur demessis area culmis,  
 Pressoque ter tinxit lacum sordida planta mero,  
 Ut lustrat me Roma suum, censetque Quiritem:  
 Immane sicco patriæ lumine diffidium  
 Quis videat Busris, amet quis Sarmata ciuis?  
 Neque vrsus vrsum, nec leo dente vel vngue genus  
 Læserit, at dispar. Heu! illa Britannia victrix,  
 Pacisque nuper arbitra, Marte domi genito  
 Nunc furit indignata sibi. Profugimus ergo,  
 Biantis exemplo, nigrae litore ab Albionis.  
 Obsessam ille urbem linguens; Valeatis, amici,  
 Bacchantis insolentiâ militis in patriam  
 Ciuis ego tigres possem, comitesque dracones  
 Perferre, dixit, lentiùs. Viperae sobolis  
 Pars est, qui cruciet matrem, vel fuerit, almam:  
 Quærat alter angulus, nè scelus aspiciam,  
 Quid si Cadmæi vidisset femina dentis,  
 Ob iurgium domesticum, viuere, prona mori?  
 (Fabula sit de te, miseranda Britannia) quid si  
 Alterna fratrum funera, sparsaque membra patrum,  
 Cognatasque acies vidisset? ad æthera quantus  
 Halaret osoris vapor! quàm procùl iret eques!  
 Hoc duce, Gallorum perij, quæ proxima terram,  
 Communis Euripo falis: mòx iuga Romulidum  
 Dissi-